

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Academiae Kiloniensis Proreector et Senatus orationem  
solemnam Augustissimi Regis Christiani VII natali die 29.  
Januarii 1798 habendam indicunt. De Gestu Veterum  
Scenico Observationes**

**Baden, Torkel**

**Kiliae Holsatorum, [1798?]**

**VD18 13382748**

Gestus senilis.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-8303**

Quid plura? Vinctum Davum verba poetae loquuntur, talemque omnino tabella comica vetusti libri scenae huic praefixa repraesentat, persona utriusque senis adpicta, quorum alter, Chremes nomine, litiganti tumido ore patri, ne faeviat ultra, moras nectere gestit. Quae quidem vera genuinaque rei imago, quantum a vapulari servo schematis Ficoroniani discedat, tantum Comici prudentia et modestia ab Exodiariorum rusticitate distare existimari debet. Evidem ludicrae fabulae, nobis ignotae, scenam respexisse auctorem schematis dixerim, jocularisque argumenti indicium adulterium flagellis *ad tibiam*, barbarice pariter<sup>65)</sup> atque ridicule caesum in illo servum. Siquidem quo jure atque successu in Terentii fabulam tractum schema vidimus; eodem de plautino argumendo interpretari licebit. Totidem enim, quot in schemate sunt, personas offerunt *Captivi* Plautina, atque argumentum indiscretae similitudinis cum Terentiano illo: *Hegionem*, puta, senem, hujusque jussu vincula expedientem *torarium* in *Tyndarum* servi nomen mentitum, obloquente *Aristophonte*, sicut apud Terentium *Chremes*<sup>66)</sup>. Verberibus nuspia locus in scena.

### Gestus senilis.

Gestus scenicus personatis Terentii valde solemnis, is est, quo manu, digitis collectis, ori admota deducitur oculus. Late patet hic gestus, cuius rationem usumque, licet ex parte tantum, cognovisse expedit, ut personas in imitationibus artis veteris hoc gestu crebro agentes quo referre possis, tibi suppetat. Indagandi molestiam minuit hoc, quod eadem apud Italos ad nostram usque aetatem vigeat gesticulandi ratio, quibus eodem sensu eademque inconstancia rebus accommodare cum veteri-

65) Pollux Onom. IV. 7 extr.

66) Captivei III. 4 extr. et Sc. 5.



bus moris est. Plurimum affinitatis cum altero gestu habet, quo livoris affectum significare Itali solent<sup>67)</sup>; cui si nigrae succum lolliginis, id est, manum a tergo loquacem demferis: gestum scias te habere Simonis senis<sup>68)</sup>, qualis Critoni occurrit, rem omnem, uti esset, de Glycerio fideliter enarraturo. Hospitem, incognita causa, dolos inaniter usque metuens pater, dudum ante oculis designando in suspicionem vocat. Hinc senum comicorum moribus apprime conveniens gestus.

Sed et eorum est, qui aliquid videre aut scire praegestiunt, uti Menedemī aucupantis verba Clitiphonis<sup>69)</sup>; et in irrisione locum habet, quo modo jactantiae Thrasonis Thais respondet<sup>70)</sup>.

Commode porro gestum adhibere eos cerneris, qui rem captant, aut imprudentem et aliud agentem aliquem deprehendunt; quem ad modum Demea pater Aeschini gnati<sup>71)</sup>, Syrus servus Demeae senis<sup>72)</sup> sermonibus, nemine sentiente, imminent.

Denique ab iis frequens assumitur, qui perturbati trepidis in rebus versantur; quo statu Sannio conspicitur<sup>73)</sup>, qui ad incitas redactus a Syro, corpus ita componit, ut illud multarum difficultatum: *Hem* referre videatur<sup>74)</sup>.

### *Meditabundus.*

Gestum simplicitate, ut qui maxime, commendabilem, nec uni personarum comicarum generi, sed pluribus ac, ni fallor, omnibus communem, sigillum quod fistimus praefert. Rem

67) Mimik von Engel Th. I. Fig. 1.

68) Andria V. 4. Fig. 27.

69) Heautont. V. 2. Fig. 20.

70) Eunuch. IV. 7. Fig. 17.

71) Adelph. V. 7. Fig. 25.

72) ibid. IV. 2. Fig. 14.

73) ibid. II. 2. Fig. 5.

74) ibid. III. 2. Fig. 9. IV. 4. Fig. 16. Phormio I. 3, Fig. 4. V. 2. Fig. 19.

